UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conferentiæ Theologico Morales

Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum, Confessariorúmque omnium

Ex Materia Septem Sacramentorum Atque Justitiæ De Restitutione Excerptæ

Sargar, Elisaeus

Augustæ Vindelicorum, 1720

Ordo. à. n. 335.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41194

Visual Library

334. CONFERENTIA. XXIX.

Procus procatur pro filia cujusdam viduæ illa nil minus vult quam procum: Hæc autem niſi Proco nupſerit & verberibus te excipiam & mater tibi amplius non ero. Filia ergo hoc timore adacta conſentit in Matrimonium: An valide.

R. Invalide: Ratio eſt: quia intervenit metus gravis injuſte incuſſus à cauſa extrinſeca libera, talis autem ſecundum omnes irritat Matrimonium, cum propter diminutam libertatem tum propter injuriam filiæ datam.

Ordo.

335. CONFERENTIA. XXX.

CLericus accipiens Subdiaconatum expreſſe proteſtatus eſt contra votum Caſtitatis ipſi ex voluntate Eccleſiæ annexum; & ideo poſtmodum contraxit matrimonium: an valide.

R. *Cum P. Gob. Caſu 13. de Matrim. n. 27.* ipſum quidem liberum eſſe à voto, nuptias tamen ipſius fuiſſe sacrilegas & nullas, non quidem ratione voti, ſed ratione ordinationis ſacræ libere ſuſceptæ. Ratio eſt utique voluntas Eccleſiæ inſtituentis.

CONFERENTIA XXXI.

336. QUidam exiſtimans, votum Continentiæ eſſe annexum quatuor minoribus Ordinibus, cum qua perſuaſione permiſit ſe ordinari priusquam autem ſuſciperet Subdiaconatum duxit uxorem: quæritur an valide? R. Gob.

cit.

cit. n. 275. Eum peccaſſe mortaliter celebrando nuptias cum erronea Conſcientia, factum tamen tenuiſſe. Prima pars per ſe conſtat. Secunda ex eo, quod nemo valeat emittere votum, quod privata auctoritate vel errore dirimat matrimonium.

Ligamen. 337.

CONFERENTIA. XXXII.

Fuerunt quondam plures mulieres, quæ viros ſuos cauſa captivitatis vel peregrinationis abſentes ultra ſeptennium præſtolatæ fuerunt, nec certificari potuere de vita vel morte ipſorum, licet ſuper hoc ſolicitudinem adhibuerint diligentem, & pro juvenili ætate ſua ſeu fragilitate carnis nequivere continere, petivere alijs matrimonio copulari, ideoque per Epiſcopum Sedem Apoſtolicam conſuluere, num ſibi liceret ad ſecundas nuptias progredi. Pro reſolutione ſit

℞ſio Summi Pontificis, tunc Clem. III. cap. in præſentia. De Sponſal. & Matrim. ibi. *Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod quotocunque annorum numero remaneant, viventibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum conſortium canonice convolare, nec authoritate Eccleſiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Hæc Clem. ſimiliter Lucius III. Papa *c. Dominus. de ſecundis Nuptiis*, decernit, *ut nullus amodo ad ſecundas Nuptias, mi-*